

MUNDUS FICTUS, MUNDUS PICTUS

2. In hoc saeculo ad...aeternitatem!



Mirae chartae ad illustrandum mundum varium, symbola et colores apta quoque nationi in tempore recentiore.

Personae fabularum, inclusis pelliculis cinematographicis, velut Pinoculus pro Italia, Bambi cervus et Superhomo in Unitis Nationibus, Dumbo elephas in Florida, Aladinus in Paeninsula Arabica, Parva Syren in Oceano, Alba Nix et Remigius (Remi) in Francogallia, Elsa (principissa Regni Glaciei) in Scandia, Centum et Unus (canes) et Aristocratici Feles in Europa centrali, Rex Leo in Africa orientali...



In prima charta autem mores, res typicae an fructus locales indicant nationes vivis et lepidis coloribus.

Digna quae notarentur, forma Mexici, vultus mulieris cum adamante pro fere tota Africa (camelus autem indicat desertas regiones septentrionales), leo ut Madagascar, Nova Zelanda velut ovis, Groenlandia ut crimum gelatum, pro Mexico pulchrum “tacos” (paniculus fartus).

Inter symbola varia, petasus pro Panama, thermopolium cum vodka pro Rusia, orologium pro Helvetia, crus assi pulli ad Indiam indicandam, sclopetum tentum pro Iranica natione et regiones circumstantes.

Praeterea, telephoni mobiles pro insula Nipponica, vexillum “Realis Matritis” (Real Madrid) pro Hispania, et apes in insulis Indonesiae (meta itinerum nuptiarum, id est “lunae ex melle”).



**Quid eveniat, si mundus rediverit ad statum Pangeae? Mediterraneum (ut Oceanus Atlanticus!) fit parvus lacus,
calida India iuxta Artidem frigidam, Rusia et America, necnon Africa Musulmana, se invicem adgrediuntur,
Africa et America meridionalis fiunt unum...**



Melius mundum se servare sic ut est at non omnes sunt felices. Praecipue in Africa et Asia Septentrionalis, necnon (ob tyrannicum regimen aut paupertatem) in India, Re publica Sinensi, India, aliquae nationes Asiae centralis et insularibus (fortasse ob frequentes tempestates) et Americae meridionalis. Vita autem est maxime beata in America Septentrionalis (certumne est?) et Australia.




Quae sunt nationes ubi bibitur saepissime coffeam? Brasilia (nihil mirum) et, contra omnes expectationes, Islanda, Paeninsula Scandinava, Dania, Helvetiae et parva regio insulae Australianae.


Non amant hanc potionem in Africa, Asia (gratior est thea), Chile et reliqua America Centralis et Meridionalis.



In hac carthina exponitur classificatio mulierum secundum gradum seductionis.

**Pulcherrimae sunt in Rusia, Chile, Indonesia, Brasilia, Ethioia, Venezuela et natione Sveva. Multo minus
Americanae, Arabicae, Australianae. Parum venustae Bolivianae, Anglicae, Germanicae et oriundae e magna
parte Africæ centralis. Certa elementa an solum opiniones?**






Totus mundus in hac “viva carha”, composita e trecentis insulis, in Oceano Persico.

Una insula usque ad hodie habitatur: Groenlandia, cum viridibus spatiis, splendidis hospitiis et palatiis.


Absurda visio Italiae secundum fautores secessione Padaniae, id est partis septentrionalis. Regiones meridionales, divisae inter duo maria, Africae, Albaniae et Turcicae Rei publicae equiparantur (inde proveniunt migrantes), Campania vocatur "Maradonia" a nomine harpasti lusoris.





“Via ad successum” (visibilis in situ interretiali www.capurromrc.it) est summa consiliorum ad ineundas rectas decisiones: qui deligit viam facilem, salit at postea cadit, qui neglegit negotia et studia non longe pervenit, victima illusionum; longa et ardua scala est ascendenda ad exitus proficuos consequendos.

Similiter censem quidam Belulah in hac delineatione, nata ab ethica et imaginatione.



Tres sunt viae ab urbe “Consilium” (Decisionville) vocata: prima, quae ducit probos ad Coeli Paradisum, est “Via Celestialis”, recta et linearis; secunda, “Magna Via Ruinae”, trahit in Umbrae Regnum homines non dignos; tertia, fallacior, est “Via quae iusta videtur”, quae ducit improvidos ad loca peccati (Platea Infidelium, Cor ex petra) longe a salvifico itinere fidei et honestatis. Est autem locus paenitendi in omonima urbe; inde, per “Gratiae Fluvium” adiri potest ad limen Paradisi. Denique, locum dictum “Monitum Extremum”: qui hoc sibi ignorant vel aliter falluntur, in “Vallum Homicidii” vel “Specus Suicidi” stulti ad aeternum praecipitabuntur.



**Denique, “Charta somniorum”, a populo Chukcho in summa Siberia, quae itinera indicat dormientibus ignaris
inter astra ridentia magici planetarii.**

